Quelle: https://manuscripta.at/?ID=851
Copyright: Klosterneuburg, Augustiner-Chorherrenstift

Incipit liber Osee prophete. · OSEE ·

imitante. ac contra dei precepta et religionem cum populo
israhel agente. sanguis naboth. qui in loco ter-
re iezrael fuerat perfusus in domo hieu postea me-
moratur iero[boam] propter peccata redundaturus significatur.
Hic sermo est: ut ira dei in populo israhel per denuncia-
tionem prophete percussura diceretur. Domum autem
iude in ista lectione comprehensa ob hoc promissa
est. quia ezechias rex iuda filius achaz sublatis
ydolis. quam tam pater eius quam ceteri reges consecrave-
runt. templum dei purgasse ac purificasse monstratur.

Verbum domini quod factum est ad osee
filium beeri in diebus ozie. io-
atham. achaz. ezechie re-
gum iuda. et in diebus ieroboam
filii ioas regis israhel. Principium loquendi domino in
osee. Et dixit dominus ad osee. Vade sume tibi
uxorem fornicationum. et fac filios fornicationis.
quia fornicans fornicabitur terra a domino. Et abiit
et accepit gomer filiam debelaim. et concepit
et peperit ei filium. Et dixit dominus ad eum. Voca
nomen eius iezrael. quoniam adhuc modicum et
visitabo sanguinem iezrael super domum hi-
eu. et quiescere faciam regnum domus israhel. Et in il-
la die conteram arcum israhel in valle iezrael.
Et concepit adhuc et peperit filiam. Et dixit ei. Vo-
ca nomen eius absque misericordia. quia non addam ultra mise-
reri domui israhel. sed oblivione obliviscar e-
orum. et domui iuda miserebor. et salvabo eos
in domino deo suo. et non salvabo eos in arcu et gla-
dio et bello. et in equis et in equitibus. Et ablactavit
eam que erat absque misericordia. Et concepit et peperit
filium. Et dixit. Voca nomen eius non populus meus.
quia vos non populus meus. et ego non ero vester. Et
erit numerus filiorum israhel quasi arena maris que sine
mensura est. et non numerabitur. Et erit in loco. ubi
dicetur eis non populus meus vos. dicetur eis filii dei
viventis. Et congregabuntur filii iuda. et
filii israhel pariter. et ponent sibimet caput unum
et ascendent de terra. quia magnus dies iezrael.

Dicite fratribus vestris populus meus. II
et sorori vestre misericordiam consecuta. Iudicate
matrem vestram. iudicate. quoniam ipsa non uxor mea.
et ego non vir eius. Auferat fornicationes suas
a facie sua. et adulteria sua de medio uberum suorum.
ne forte expoliem eam nudam. et statuam eam
nudam secundum diem nativitatis sue. Et ponam eam quasi solitu-
dinem. et statuam eam velud terram inviam. et interficiam
eam siti. et filiorum illius non miserebor. quoniam filii fornic-
ationum sunt. quia fornicata est mater eorum. confusa est
que concepit eos. quia dixit. Vadam post amatores
meos qui dant panes mihi. et aquas meas. et lanam
meam. et linum meum. et oleum meum. et potum meum.
Propter hoc dicit dominus. Ecce ego sepiam viam tuam
spinis. et sepiam eam maceria. et semitas non inveni-
et. Et sequetur amatores suos. et apprehendet eos
et queret eos et non inveniet. Et dicet. Vadam et re-
vertar ad virum meum priorem. quia bene mihi erat tunc
magis quam nunc. Et hoc nescivit. quia ego dedi
ei frumentum et vinum et oleum. et argentum multipli-
cavi ei. et aurum que fecerunt baal. Ideo convertar.
et sumam frumentum meum in tempore suo. et vinum meum
in tempore suo. et liberabo lanam meam et linum meum. que
operiebant ignominiam eius. Et tunc revelabo stul-
ticiam eius in oculis amatorum eius. et vir non eruet eam
de manu mea. Et cessare faciam omne gaudi-
um eius. sollempnitatem eius. neomeniam eius. sabbatum
eius. et omnia festa et tempora eius. Et corrumpam vineam
eius et ficum eius de quibus dixit. Mercedes hec
mee sunt. quas dederunt mihi amatores mei.
Et ponam eam in saltum. et comedet eam bestia agri.
Et visitabo super eam dies baalim. quibus accen-
debat incensum. et ornabatur inaure sua. et
monili suo. et ibat post amatores suos. et mei
obliviscebatur dicit dominus. Propter hoc ecce ego lac-
tabo eam et adducam eam in solitudinem. et lo-
quar ad cor eius. et dabo ei vinitores suos
ex eodem loco. et vallem achor ad aperiendam
spem. Et canet ibi iuxta dies iuventutis